INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXVIII
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXIX

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HUGONIS WEISS** DE ORATIONE DOMINICA COMMENTATIO EXEGETICA.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1888.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De oratione Dominica commentatio exegetica.

I.

In describendis rebus a Jesu Christo gestis evangelistae bis mentionem faciunt orationis quae dicitur Dominicae. Salvator enim teste Mt. 6, 9 sqq. sermoni suo celeberrimo in monte quodam Galilaeae habito orationem illam inseruit, quam secundum Luc. 11, 1 sqq. rogatus a discipulis prope Hierosolyma docuit. Praeterea orationis formulae ab utroque evangelista traditae minime inter se congruunt. Oratio enim quae in evangelio S. Lucae invenitur ab oratione alterius evangelii omissis minoris momenti discriminibus imprimis eo differt, quod voci *Πάτερ* non adjecta sunt verba: „*ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*“ et quod duae precationes (*γενηθήτω τὸ θέλημα κτλ.* et *ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς κτλ.*) desunt. Itaque orationem Dominicam exegetice examinantibus nobis primum hae quaestiones solvendae sunt:

1. Utrum ipse Christus orationem suam semel an bis promulgaverit. Inter patres seu scriptores ecclesiasticos antiquissimi temporis solus Origenes hanc quaestionem attingens opinatur, breviorem orandi formulam, a S. Luca servatam, perfectioribus Christi discipulis destinatam fuisse; ad populum vero, qui doctrinae magis perspicuae indiguerit, Dominum alio tempore apertius fusiusque locutum esse (Mt. 6, 9 sqq.).[1]) Similiter judicant Euthymius Zigabenus (qui discipulum, cujus Luc. 11, 1 mentio fit, non duodecim apostolis, sed septuaginta illis discipulis — cf. Luc. 10, 1 sqq. — annumerat),[2]) Toletus,[3]) Lucas Brugensis,[4]) Calmetus,[5]) Schegg,[6]) Bisping,[7]) Reischl,[8]) Schanz (qui conjicit, orationem

---

[1]) Origenes, De oratione c. 30.
[2]) Euthymius Zigabenus, Commentarius in Evang. Luc. 11, 1.
[3]) Toletus, Comment. in Luc. 11, 1.
[4]) Lucas Brugensis in Migne, Scripturae s. cursus compl. XXII, p. 905.
[5]) Calmet., Comment. in Luc. 11, 1.
[6]) Schegg, Das Evangelium nach Lukas, II, p. 141 sqq.
[7]) Bisping, Das Evangelium nach Lukas, ed. II, p. 313.
[8]) Reischl in Luc. 11, 1.

repetitam esse propter tarditatem ingenii discipulorum).[9] — E contrario primus Maldonatus Christum orationem suam semel tantum docuisse contendit pro certo habens, S. Matthaeum (Capp. 5, 6, 7) non unam Christi concionem proposuisse, sed quae Christus variis temporibus multisque concionibus docuisset, in unum locum congerere voluisse, ut omnem fere doctrinam christianam sub unum poneret aspectum.[10]) Quam in sententiam iverunt Cornelius a Lapide,[11]) Knabenbauer,[12]) plurimi recentioris temporis interpretes acatholici. „Sine dubio", inquit Hoffmann,[13]) „oratio nostra non bis a Jesu discipulis praecepta esse potest. Atque optimo jure multi textum Lucanum majore fide dignum censuerunt Nam quum Matthaeus singula Domini λόγια in orationum formam compilaverit, nihil verisimilius est, quam brevissimam illam perfectissimamque orandi formulam admonitionibus Jesu, quibus in battologiam invectus esset, additam esse."

Attamen alterum evangelium „majore fide", alterum minore fide dignum censere dubitamus. Quamquam enim non negandum est, S. Lucam in enarrandis sermonibus et factis evangelicis accuratius quam ceteros evangelistas ordinem temporum servasse, tantum tamen abest, ut S. Matthaeus in evangelio suo conscribendo diligentiam atque curam prorsus neglexerit et omnes res gestas inepte permiscuerit, ut exacta atque accurata relatione historica ipsum evangelium Lucanum passim antecedat.[14]) Quibus primi evangelii capitibus a quacunque confusione historica vacuis certo illa quoque oratio, quam Christus uno circiter anno post baptismum suum[15]) habebat, videtur annumeranda esse, quippe quae in proponendis gravissimis legibus a civibus Messianae civitatis observandis summam sapiat sapientiam et ipsius Dei spiritum. Quo in sermone velut in „magna charta" conditiones, quibus aditus ad regnum divinum pateat, officia christianorum (eleemosyna, precatio, jejunium) similia cum singularibus praeceptis apte compositis arcteque inter se cohaerentibus ita proponuntur,[16]) ut nemini non manifestum sit, S. Matthaeum hoc loco fere ad verbum repetere ipsius legislatoris divini prologum seu summam totius doctrinae. quam Christus postea variis suis monitis, institutionibus, orationibus solummodo illustravit atque interpretatus est. — Praeterea non parvi momenti est, quod S. Matthaeus narrationem suam de sermone isto incipit a verbis (5, 2): „Aperiens (Jesus) os suum docebat eos dicens", eique verba subjungit (7, 28): „Et factum est, quum consummasset Jesus verba haec, admirabantur turbae etc." (Vulg.); unde patet, evangelistam non suam combinationem seu compositionem doctrinae christianae sed Christi sermonem reapse habitum in medium ferre voluisse. — Neque contra dicendum est, concionem illam longiorem esse, quam quae uno tenore a Christo haberi potuerit. Haud raro enim multitudo hominum vix memor cibi potusque per multas horas Christo auscultare solebat (Mrc. 6, 34 sqq.; 8, 2 sq.), sicut etiamnunc Orientales perseverantia atque animi attentione, quacum oratores suos audiunt, nos longe superant.[17]) Quibus de causis non dubitamus, quin oratio Dominica una cum ceteris sermonis illius

---

[9]) Schanz, Commentar über d. Evang. des hl. Matthaeus, p. 212.

[10]) Maldonat., Comment. in Matth. 6, 9.

[11]) Cornelius a Lapide, Comment. in Luc. 11, 1.

[12]) Knabenbauer, Stimmen aus Maria-Laach 1887, p. 556.

[13]) Hoffmann, De oratione Dominica p. 2.

[14]) Connexum in primo evangelio non semper servatum esse plus justo reprehendunt: Haneberg, Gesch. der Offenbarung ed. III, p. 684; Arnoldi, Comment. zu Matth. p. 44; Grimm, Einheit der Evangelien p. 128. Cf. Schanz, Composition des Matthaeus-Evangeliums p. 12 sq. et Einleitung zum Evang. des hl. Lukas p. 21 sq.

[15]) Friedlieb, Das Leben Jesu Christi p. 371. 415.

[16]) Oswald, Kath. Magazin für Wissenschaft u. Leben I, 1, p. 98 sqq.

[17]) Schegg, Comment. in Luc. 9, 12. Cf. Act. 28, 23: „Suadens (Paulus) de Jesu ex lege Moysi et prophetis a mane usque ad vesperam. Vulg."

celeberrimi partibus teste Matthaeo haud ita multo postquam Christus in publicum prodire coepit, primo edita sit.

Eadem autem cum auctoritate evangelium Lucanum refert, Christum posteriore tempore alia data occasione orationem suam praecepisse. Jesus enim postremo ex Galilaea in Judaeam profectus (Luc. 10, 38 sqq.),[18]) a discipulo quodam[19]) rogatus est: „Domine, doce nos orare, sicut docuit et Johannes discipulos suos.“ L. c. 11, 1. Vulg. Et precibus annuens Christus „Quum oratis“, inquit, „dicite: Pater noster etc.“ Quod factum esse verisimile est in monte qui dicitur oliveti prope urbem sanctam sito, cujus in cacumine jam undecimo saeculo Petrus de Amiens respectu habito orationis Dominicae in coetu equitum christianorum verba fecit, nec non nostris temporibus in perpetuam ejusdem rei memoriam ecclesia Carmelitessarum aedificata est[20]) — Itaque quum quae S. Lucas refert et tempore et loco et circumstantiis a relatione S. Matthaei discrepent, concludatur necesse est, orationem illam non semel sed bis a Salvatore praescriptam esse, ita ut institutio prior posteriore sanciretur ac confirmaretur. — Si quis autem discrimina illa parvi aestimans narrationes inter se non omnino dissimiles in unum confundere velit, antea meminerit duplicis illius poenae emptoribus et venditoribus in templo Hierosolymitano tumultuantibus irrogatae (Joh. 2, 13 sqq.; Mt. 21, 12 sq.; Mrc. 11, 15 sq.; Luc. 19, 45 sq.), quae facta, quamvis inter se sint simillima, tamen sine ullo dubio discernenda sunt.[21])

2. Venio ad alteram quaestionem, uter evangelista principalem orandi formulam ab ipso Christo pronunciatam nobis tradiderit. Qua in quaestione supponimus, tertii evangelii textum minime cum editione Lachmanniana ad textum S. Matthaei conformandum esse; sed breviorem textum Lucanum quinque tantum precationes complectentem aeque ac longiorem textum alterius evangelii esse genuinum, id quod Tischendorf, Tregelles, Westcott-Hort (testibus codd. Aleph, B, Vulgata, Origene) in editionibus suis comprobarunt.[22]) Num vero ipse Christus breviore ista formula usus est? Quod qui affirmant interpretes pro certo habent, S. Matthaeum hac mente, ut nonnulla verba et sententias orationis explanaret, ad suum arbitrium formulam principalem latius produxisse, ita ut additamenta illa tanquam „ex visceribus causae“ orirentur.[23]) — Quamquam autem concedimus, omnibus evangelistis licuisse pro eo consilio quod in libellis suis sequebantur orationes sermonesque Domini aut amputare aut amplificare, quippe qui repleti Spiritu sancto (Act. 2, 4) a veritate christiana declinare non possent, hoc tamen loco orationem Christi non S. Matthaeus dilatasse sed S. Lucas decurtasse videtur. Sermo enim in monte habitus, qui tria longiora capita primi evangelii (Capp. 5, 6, 7) complet, a S. Luca adeo contractus est, ut paucis versibus comprehendatur (Luc. 6, 20 sqq.). V. gr. ex octo quae dicuntur beatitudinibus illic enumeratis Lucas quattuor tantum affert, eas fortasse eligens, quae conditioni lectorum suorum a paganismo ad doctrinam christianam conversorum[24]) maxime accommodatae erant. Quam ob rem verisimile est, tertium evangelistam ex oratione quoque Dominica preces dumtaxat gravissimas decerpsisse, praesertim quum nondum suspicari posset, fore ut jam pauca post

18) Grimm, Einheit p. 417 sq. 698.

19) Ex appellatione ad Johannem Baptistam facta colligi licet, discipulum illum priore tempore non Christi sed Johannis assectatorem fuisse. Cf. Matth. 14, 12: „Discipuli (Johannis) sepelierunt corpus ejus et venientes nunciaverunt Jesu.“

20) Fahrngruber, Nach Jerusalem p. 238.

21) Schegg, Leben Jesu II, p. 243 sq.

22) Etiam Maldonatus in Luc. 11, 1 „Itaque“, ait, „nostram (breviorem) lectionem magis hoc loco incorruptam quam Graecam (longiorem) esse puto“.

23) Grimm, Leben Jesu IV, p. 463 sq.

24) Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift § 482.

decennia longior orationis formula per totam fere ecclesiam christianam adhiberetur.[25]) — Ceterum non defuerunt, qui nec Matthaeo nec Lucae sed ipsi Christo commutationem formulae orationis ascriberent[26]) hoc unum parum perpendentes, quod Christum in Judaea docentem non multitudo ignotorum hominum sed iidem discipuli atque amici circumdabant (Mt. 5, 1; Luc. 6, 20), qui orationem Dominicam jam in Galilaea audierant (Luc. 11, 1). Nonne autem mirum fuisset, si Christus coram attentis suis auditoribus duas ejusdem orationis formulas aliquantum inter se discrepantes docuisset? Unde nos quidem in sententia perseveramus, orationem quam Salvator bis iisdem verbis praeceperat in primo evangelio integram, in tertio per S. Lucam abbreviatam nobis asservari.[27])

II.

Orationem Dominicam perlustrantibus praeterea haec quaestio facile exsistit, quare Christus discipulos suos perpaucis tantum verbis iisque imprimis miseriam et imbecillitatem humanam in memoriam revocantibus orare jusserit. Quas orationis proprietates recte aestimare non possumus, nisi et ethnicorum et Pharisaeorum orationes, quibus Christus suam orationem consulto opposuit, paullulum respexerimus. Cf. Mt. 6, 5—8.

1. Ethnicorum orantium multum intererat verba quam plurima facere. Quam ob causam Graeci, Romani, Persae, aliae gentes non solum diis suis nomina varia variosque titulos tribuebant, sed etiam formulas istas inanes per diem sexcenties repetebant, dum caute simul providebant, ne sonitu quodam perturbati singula verba permutarent vel omitterent.[28]) Insuper summa voce orare nonnulli magno in pretio habebant (I. Reg. 18. 27 sq.). Quae verbositas et stulta de immutabilitate precationum opinio ex perversa notione Dei exorta erat. Quum enim deos suos insipientes quibuscunque humanae naturae imperfectionibus ac vitiis laborare opinarentur ethnici desideria sua ac vota illis caute accurateque indicare et verborum copia persuadere debebant. Simulac vero Christus veram doctrinam de Deo, qui „scit quid opus sit nobis, antequam petamus eum (Mt. 6, 8),“ revelavit, christiani abominantes τὴν πολυλογίαν (i. e. loquacitatem) et τὸ βαττολογεῖν (i. e. blaterare, garrire, balbutire) orationem Domini brevem quidem sed tamen sententiis gravissimam verbosis illis invocationibus merito longe anteponebant.[29])

2. Pharisaeorum orationes superbia et immodica placendi cupidine contaminatas fuisse, vix opus est argumentis confirmare. Quis non meminit superbarum illarum precum in templo Hierosolymitano pronunciatarum (Luc. 18, 10)! Ostentatione autem sui atque ambitione peccabant quicunque non in conclavibus interioribus seu penetralibus (i. e. ταμεῖον sive ταμιεῖον (Mt. 6, 6), sed in primis cathedris synagogarum (Mt. 23, 6; Mrc. 12, 39; Luc. 11, 43; 20, 46) et in angulis viarum latiorum orare solebant (Mt. 6, 5)[30]); unde etiam majora phylacteria ad frontem et manus alligabant nec non

---

25) Jam „Doctrina duodecim apostolorum“ ante finem primi saeculi exorta, orationem Dominicam continet et quidem Christianis praescriptam usitatamque. Paulo post imprimis Tertullianus orationem illam „legitimam“ et „ordinariam“ appellat. De oratione c. 10. Cf. Funk, Doctrina duodecim apostolorum p. XXXII sqq. et p. 25.

26) Schegg, Bisping, alii in Luc. 11, 1.

27) Cf. Augustinus, Enchirid. c. 116; Cornelius a Lap., Reischl, Meyer-Weiss, alii in Luc. 11, 1.

28) Döllinger, Heidenthum u. Judenthum p. 201; 369 sq.; 526 sqq. Notum est, etiam Muhammedanos in orationibus suis quotidianis nonaginta novem nomina Dei enumerare. Cf. Zschokke, Religiöse Verhältnisse des Orients p. 12.

29) Cave ne omnes preces verbosas a Christo reprobatas esse opineris. Orationes sententiosae, sive breves sint sive longae, Deo summopere placent; quapropter Christus et ipse „pernoctabat in oratione Dei“ (Luc. 6, 12), et discipulos monebat, ut „semper orarent“ (Luc. 18, 1; 21, 36); meritoque S. Augustinus „Absit“, inquit, „ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio.“ Epist. 130, 20.

30) Recte annotavit Pölzl in Matth. 6, 5, evangelistam non scripsisse ῥῦμαι i. e. viae angustae, sed πλατεῖαι i. e. viae latiores, a multis hominibus frequentatae.

majores fimbrias quattuor extremis pallii marginibus affigebant quam ceteri Judaei (Mt. 23, 5).[31]) Pharisaei hoc modo orantes sine dubio permultis malo exemplo erant, praesertim quum ob insignem suum amorem patriae magna auctoritate inter populares florerent.[32]) Ergo summae sapientiae documentum fuit, quod Christus, ut patriae coelestis nos participes faceret, in sua oratione imbecillitatem humanam atque angustias nostras quodammodo pressit ideoque nos submisso humilique animo orare docuit. „Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur“ (Luc. 18, 14).

III.

Antequam ad singulas orationis Dominicae partes interpretandas progredimur hoc unum commemorare nobis liceat, alios interpretes septem precationes, alios sex numerare. Quae dissensio orta est ex dubitatione, num sexta et septima precatio inter se disjungendae sint an unam precationem efficiant. Nostram hac de re sententiam sub fine commentationis nostrae uberius explicaturi hoc loco nonnullorum celebriorum interpretum judicia in medium proferre satis habemus.

Tertullianus ultimam precationem cum paenultima arcte conjungit.[33]) Similiter Origenes „Videtur mihi“, inquit, „Lucas his verbis „„ne nos inducas in tentationem““ etiam reipsa docuisse illud „„libera nos a malo““.[34]) Quos doctos ecclesiae latinae et graecae propugnatores secuti sunt Gregorius Nyssenus,[35]) Chrysostomus,[36]) alii.[37]) — Porro Cyprianus peculiari ultimae precationis argumento cognito „Post ista omnia“, ait,[38]) „in consummatione orationis venit clausula universas petitiones et preces nostras collecta brevitate concludens.“ Disertissime autem Augustinus septem precationes numeris ordinalibus adjectis explicavit et primus demonstravit, tres priores precationes ad vitam aeternam referendas esse, quattuor posteriores ad temporalem vitam.[39]) Quam sententiam cum omnibus fere theologis ecclesiae occidentalis probarunt Abaelard,[40]) Thomas Aquinas,[41]) Maldonat,[42]) Calmet,[43]) Bleek, Tholuk, Hilgenfeld, Keil.[44])

Nos quoque patri illi sagacissimo in universum assentientes summam et caput totius orationis Dominicae esse glorificationem Dei et desiderium salutis aeternae arbitramur. Sicut enim septem luminis radii varie colorati ex uno sole fulgenti nascuntur, ita ex omnibus orationis illius pre-

---

31) Scholz, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel II, p. 350 sqq.

32) Josephus, Antiq. 18, 1, 4; Riehm, Handwörterbuch des bibl. Alterthums II, p. 1192.

33) Tertullianus, De oratione c. 8: „Respondet clausula, interpretans quid sit „„„ne nos deducas in tentationem.““ Hoc est enim „„„sed evehe nos a malo.““

34) Origenes, De oratione c 30.

35) Gregor. Nyssenus, De orat. Dom. orat. 5: „Quum dixisset „„ne inducas nos in tentationem““, sejunxit liberari a malo, quasi res eadem per utrumque nomen significetur.“

36) Homilia 19 in Matth.

37) Cf. Meyer-Weiss, Kommentar über das Evang. des Matthaeus, ed. VII, p. 175 et 177.

38) Cyprianus, De oratione c. 27.

39) Augustinus, De sermone Domini in monte habito c. 35 sqq. Cf. Enchiridion de fide, spe et charitate c. 30: „Apud evangelistam Matthaeum septem petitiones continere Dominica videtur oratio, quarum tribus aeterna poscuntur, reliquis quattuor temporalia.“

40) Abaelard, Expositio orationis Dominicae in Migne, Patrol. lat. tom. 178 p. 611 sqq.

41) Thomas Aq., Evang. Matth. c. 6, n. 3.

42) Maldonat, Comment. in Matth. 6, 9.

43) Calmet, Comment. in Matth. 6, 13.

44) Cf. Schanz in Matth. 6, 13.

cibus et supremus (primarius) et intermedius (secundarius) finis creationis, redemptionis, sanctificationis generis humani elucent, — glorificatio scilicet Dei et creaturae beatitudo,[45]) ita tamen, ut duplex ille finis in tribus prioribus precibus directe, indirecte in quattuor posterioribus appareat.

IV.

Allocutione orationis „*Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*" (Pater noster, qui es in coelis. Vulg.) optime efficitur, ut quicunque inferioribus hujus mundi negotiis ac curis deditus sit, tanquam somno excutiatur et amore, pia fiducia, humilitate, aliis animi affectibus, qui omnem orationem christianam comitari debent, impleatur. Jam enim prima orationis voce „Pater" ad pietatem et spem firmam in Deo collocandam excitamur, quoniam Christus identidem affirmavit, Deum omnipotentem, ab ipso nomine Patris singulariter invocatum (Mt. 11, 25 sq.; 26, 39. 42; Mrc. 14, 36; Luc. 22, 42; 23, 46; Joh. 11, 41; 17, 1. 5. 11. 24 seq.), latiore nominis significatione esse patrem benevolum et amoris plenum omnium cum Filio intime conjunctorum hominum (Mt. 5, 16. 45. 48; 6, 26. 32; 10, 20; Mrc. 11, 25; Luc. 6, 36; 12, 30). Accedit, quod monita quaedam institutionem de oratione Dominica paullo antecedentia demonstrant, „Patrem coelestem" omnes homines probos atque generosos vel „in abscondito" operantes, libentissime remunerari (Mt. 6, 1 sqq.). Pariter in spem firmam vocamur his ejusdem sermonis in monte habiti verbis: „Si vos, quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se (Mt. 7, 11)!" Summum autem amorem fiduciamque nomen istud in nobis eo incendit, quod ipso monemur, nos redemptione generis humani consummata fide viva et sacramentis fratres Christi ac perinde filios Dei factos esse,[46]) id quod jam primis temporibus interpretes merito praedicarunt.[47]) Profecto, neque Judaei neque pagani Deum „Patrem" precantes huic nomini eandem quam christiani vim ac gravitatem tribuere poterant!

Ex nonnullis Veteris Testamenti locis luce clarius apparet, non singulos Israelitas Deum hoc nomine invocare conatos esse, sed totum tantum populum a Deo in Aegypto quodammodo natum et educatum sic orasse, praesertim postquam Moses a Domino jussus est Pharaoni haec nuntiare (Ex. 4, 22). „Filius meus primogenitus Israel . . . dimitte filium meum, ut serviat mihi." Cf. Deut. 32, 6; Jes. 63, 16; Jer. 3, 4; Hos. 11, 1. Solus Jesus Sirach (23, 1; 51, 14) et qui scripsit librum Sapientiae (2, 16; 14, 3) de Patris coelestis majestate atque amore rectius sentire videntur. — Graeci et Romani saepius quidem quam Judaei deos suos cognomine Patris appellabant eo discrimine interposito, ut Graeci solos superiores deos hoc modo alloquerentur, Romani autem in publicis suis orationibus quemvis deum vocarent patrem, quamvis deam matrem.[48]) Tantum tamen aberat, ut cognominibus illis relationem quandam moralem depingere et pietatem suam significare intenderent, ut deos adulationis gratia blandis epithetis ornarent. Nam haud raro et Graeci et Romani voci „Pater" haec fere verba adjiciebant: „sive hoc sive aliud

---

[45]) Oswald, Schöpfungslehre p. 92 sq.; Die Erlösung in Christo Jesu I, p. 59 sq.; Die Lehre von der Heiligung, ed. III, p. 124.

[46]) Rom. 8, 15: „Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater."

[47]) Tertullianus, l. c. c. 2: „(Voce Pater) et Deum oramus et fidem commendamus, cujus meritum est haec appellatio." Cyprianus, l. c. c. 10: „Pater noster" i. e. eorum, qui credunt, eorum, qui per eum sanctificati et gratiae spiritalis nativitate reparati filii Dei esse coeperunt." Augustinus, De sermone c. 16: „Quo nomine (Pater) excitatur quaedam impetrandi praesumptio quae petituri sumus; quum priusquam aliquid peteremus tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere „Pater noster" Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, quum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent!"

[48]) Lasaulx, Studien des klassischen Alterthums p. 140 sq. Cf. Lactantius, Instt. IV, 3: „Omnem deum qui ab homine colitur, necesse est inter solemnes ritus et precationes patrem nuncupari. Itaque et Jupiter a precantibus pater vocatur et Saturnus et Janus et ceteri deinceps."

nomen tibi placet."[49]) Quamquam igitur Jovem, „patrem deorum et hominum", invocantibus fortasse in animo erat profiteri, totum mundum a summo illo deo originem suam ducere,[50]) minime tamen vel sapientissimi ethnici internam illam familiaritatem Deum inter et singulos homines novo eoque christiano ordine factam praesagierunt.

Non inconsulto in allocutione orationis positum est pronomen ἡμῶν, quo plurali vocis numero (Cf. panem nostrum, debita nostra etc.) aptissime caecus amor sui excluditur et in memoriam nobis revocatur S. Pauli dictum, nos multos unum corpus esse in Christo, singulos autem alterum alterius membra (Rom. 12, 5; cf. I. Cor. 12, 12 sqq.; Eph. 4, 25; 5, 30), ita ut omnes communionis christianae socii jam exordio orationis Dominicae ad intimam fraternitatem ac concordiam invitentur (Joh. 13, 34 sq.).[51]) Praeterea autem vox ἡμῶν eam quam supra adumbravimus fiduciam aliquanto auget, quia Christus auxilium suum pollicitus „Si duo", inquit, „ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum." Vulg. (Mt. 18, 19 sq.). Quae spes ac fiducia etiam ultimis allocutionis verbis „ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς" haud mediocriter firmatur. Sicut enim voce „Pater" Dei benignitas, ita conclusione ista ipsius immensa potestas ac summum imperium describitur.[52]) Jam Veteris Testamenti hagiographi coelum sedem seu solium Dei, omnipotentis regis mundi, nominant (Jes. 66, 1; Ps. 2, 4; 102, 19; 115, 3); tum S. Scriptura teste Christus de coelo descendit (Joh. 6, 38) et illuc assumptus a dextris Dei sedet (Mrc. 16, 19) necnon in „nubibus coeli" cum virtute multa et majestate revertetur (Mt. 24, 30; Phil. 3, 20. — Mt. 3, 16; Act. 2, 2 sqq.). Denique propter istam Dei omnipotentiam ac majestatem coelo tanquam affixam „omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens" utut ex fonte inexhausto a Patre luminum (Jac. 1, 17). Quibus de causis Patrem coelestem appellantes et implorantes christiani continuo oportet impleantur summa fiducia, qua sperant se ab adjutore benevolentissimo potentissimoque quaecunque petierint accepturos esse (Joh. 14, 13). — Ceterum exspectandum est fore, ut quicunque magnificentiae Dei in coelo regnantis meminerit simul suae ipsius impotentiae atque infirmitatis reminiscatur; vel ut aliis verbis utar: quo quis saepius coelum aspicit, eo humilior fieri debet. — Itaque neminem qui totius allocutionis argumentum intuetur fugere potest, hac praefatione, quippe quae amorem, spem, fiduciam, humilitatem, alios pios animi affectus incendat, optimum fundamentum orationis jactum esse.

V.

Inter priores (tres) precationes, quibus glorificationem Dei et beatitudinem naturae directe appetimus, merito haec primum tenet locum:

1. „Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου." Sanctificetur nomen tuum. Vulg. — Quod „nomen" non est aut hoc aut illud nomen divinum, sed omnium nominum atque attributorum divinorum summa et epitome. „Nomen" est ipsum numen divinum vel ipse Deus vario modo perfectionem suam manifestans. Similiter prophetae Veteris Testamenti voce hebraica *schem* significabant ipsum Jahve, Elohim, Adonai. Cf. Deut. 28, 58: „Nisi timueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est Dominum

---

49) Horatius, Sat. II, 6, 20: „Matutine pater, seu Jane libentius audis." Julianus ap. Lasaulx, l. c. p. 142: ὦ Ζεῦ πάτερ, ἢ ὅ τι σοι φίλον ὄνομα καὶ ὅπως ὀνομάζεσθαι.

50) Hoffmann, l. c. p. 3.

51) Cyprianus, l. c. c. 8: „Quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus, pacis et concordiae magister, qui docuit unitatem sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit."

52) Tertullianus, l. c. c. 2: „Appellatio ista et pietatis et potestatis est."

Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas.“ Per „nomen“ Domini Israelitae jurabant (Jos. 9, 19; Jes. 48, 1); Domini „nomen“ admirabile est in universa terra (Ps. 8, 2), laudatur a coelis coelorum (Ps. 148, 4) etc. — Unde effici cogique potest, sanctificationem nominis illius esse venerabundam ipsius Dei glorificationem, qua satisfit fini supremo atque absoluto creaturae. Nostro judicio hac precatione non solum praemonemur, ne Deum offendamus,[53]) neque id solum optamus, ut Deus cultu publico ubique celebretur;[54]) quin potius precamur, ut totus mundus pronuntiet, glorificet, depingat absolutam Dei perfectionem, imprimis ejus amorem, justitiam, potentiam, sapientiam, alias proprietates ex operatione et operibus divinis elucentes. Quam ob rem ecclesia catholica totius mundi vice fungens persaepe dicit hymnum Ambrosianum: „Te Deum laudamus . . . te aeternum patrem omnis terra veneratur . . . et laudamus nomen tuum in saeculum etc.“, et sacerdotes catholici praefationem Canonis recitantes Deum quotidie glorificant his verbis: „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua! Hosanna in excelsis!“ [55])

2. Cum gloria Dei externa arcte cohaeret beatitudo hominum, — secundarius creaturae finis. Nam Deus una cum ceteris perfectionis suae proprietatibus benignitatem suam manifestaturus creaturas pro earum natura et dignitate suae ipsius beatitudinis participes facere debet.[56]) Quare merito post primam petitionem gloriam Dei spectantem desiderium nostrum fruendi bonis coelestibus pronuntiatur hac secunda precatione: „ἐλθάτω[57]) ἡ βασιλεία σου.“ Adveniat regnum tuum. Vulg. Itaque „regnum Dei“ hoc loco non est fundamentum seu initium regni Messiani tempore Christi in terra condendum (Luc. 2, 25; 17, 20; 23, 51; Mrc. 15, 43), sed ejusdem regni fastigium vel culmen splendidum, ipsum coelum attingens seu potius comprehendens. Istud in regnum intrabunt pauperes spiritu (Mt. 5, 3), ii qui persecutionem patiuntur propter justitiam (l. c. 5, 10), parvuli innocentes (l. c. 18, 3; 19, 14). Quo de regno etiam latro ille „Domine“, inquit, „memento mei, quum veneris in regnum tuum,“ Christus autem vocem „regnum“ interpretans respondit: „hodie mecum eris in paradiso“ (Luc. 23, 42 sq.). Adde, quod die novissimo homines a dextris Christi congregati hoc „regnum“, a constitutione mundi ipsis paratum possidebunt (Mt. 25, 34. Cf. Mrc. 10, 24 sq.; I. Cor. 6, 9 sq.; Gal. 5, 21).

Quae nostra secundae precationis explicatio ut ita dicam eschatologica jam plurimis ecclesiae primaevae scriptoribus probata erat.[58]) Recentiore quidem tempore multi interpretes hac precatione internam et externam extensionem regni Messiani posci putant, — internam extensionem in cordibus

---

53) Meyer-Weiss, l. c. p. 171.

54) Schegg, In Matth. p. 244.

55) Augusti (Denkwürdigkeiten IV, p. 132), Wetstein, alii affirmant, omnes orationis Dominicae petitiones vetustissimis Judaeorum orationibus (Schema, Schemoneh esreh, Kaddisch) iisdem verbis contineri. „Ex formulis Hebraeorum,“ inquit Wetstein, „concinnata est (oratio Dominica).“ Quos interpretes secutus etiam Möhler (Symbolik § 90) opinatur, Christum precandi formulam suam non tam docuisse, quam commendasse. Quae tamen sententia rejicienda est, quum neque orationes illae judaicae neque Veteris Testamenti precationes quaedam (Cf. Lev. 10, 3; Ezech. 28, 22; Sir. 33, 4) precationibus orationis Dominicae pares et congruentes sint, licet ab ipsis non omnino abhorreant. (Cf. Bodenschatz, Kirchl. Verfassung der heutigen Juden II., p. 56 sqq.; III., p. 84. Schroeder, Talmudisch-rabbinisches Judenthum p. 281 sqq.) Aliud est autem antiquiores orationes nonnunquam breviter attingere et aliud „concinnare“ orationes ex formulis tritis et quotidianis. Immo mirum fuisset, si Christus antiquiorum orationum nunquam rationem habuisset. — Ceterum adhuc in dubio est, num jam Christi aetate orationes illae (Schema etc.) apud Judaeos in usu fuerint. Hoffmann l. c. p. 5.

56) Oswald, Schöpfungslehre p. 92.

57) Ἐλθάτω est forma Alexandrina aor. II. pro ἐλθέτω. Cf. Grimm, Lexicon graeco-latinum, ed. II., p. 174.

58) Tertullianus, l. c. c. 6: „Optamus maturius regnare et non diutius servire . . . festinantes ad spei nostrae complexum.“ Augustinus, Ad Probam epist. 121, Cap. 11: „Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut vobis veniat atque in eo regnemus.“ Cf. Cyprianus, l. c. c. 13 Chrysostomus in Matth. hom. 19. Thomas Aquin. in Matth. c. 6.

hominum faciendam (Luc .17, 21), externam extensionem eam, quae accessione gentium ad doctrinam christianam efficiatur (Mt. 13, 31 sq.).[59]) Cui tamen interpretationi maxime adversatur vox ἐλθεῖν, pro qua, hoc sensu supposito, rectius αὐξάνειν (Joh. 3, 30; Act. 6, 7; 12, 24; Eph. 4, 15) vel προκόπτειν (Luc. 2, 52; Gal. 1, 14) dicendum erat. At quum ecclesia triumphans seu „regnum coeleste" in terrestri ecclesia fundamenta ac radices habeat, nihil obstat, quominus christiani secundo loco etiam terrestris illius extensionis ecclesiae recordentur, dummodo imprimis desiderent beatitudinem coelestem seu coronam justitiae in coelo repositam, quam Dominus reddet iis, qui ipsius adventum diligunt (II. Tim. 4, 8; Tit. 2, 13).[60])

3. Utrique priori precationi aptissime continuo additur: „γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς."[61]) Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Vulg. Quae tertia precatio viam ac rationem indicat, qua ab hominibus non solum nomen Domini optime sanctificari sed etiam regnum coeleste tutissime occupari potest. Deus enim, cujus gloriam mundus rationis expers naturali sua pulchritudine et ordine manifestat, a rationali creatura spontaneam laudem, amorem, obedientiam exigit (Ps. 18, 1 sqq. 8 sqq.; Gen. 2, 16 sq.; Mt. 22, 27; Mrc. 3, 35; Joh. 14, 21).[62]) „Destinavit", inquit Athenagoras,[63]) „ut (homines) auctorem suum ejusque potentiam et sapientiam cognoscentes ac legi et justitiae obsequentes perpetuo vivant." Ergo quo quis majorem dat operam in exsequenda divina voluntate, eo majorem honorem ac gloriam formalem Deo tribuit. Qua in contentione et operatione nostra maximi etiam momenti est imitari angelos et sanctos coelorum, qui exsequendo verba et mandata divina (Ps. 120, 20 sq.; 103, 4; Hebr. 1, 14) perfectissime demonstrarunt et adhuc demonstrant, quomodo Deus ab incolis terrae glorificandus sit.[64]) — Neque minus quam cum prima precatione precatio tertia cum secunda connexa est. Nam „non omnis", inquit Christus, „qui dicit mihi „„Domine, Domine"" intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum (Mt. 7, 21)", et „Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (Mt. 19, 17)." Quum igitur omnibus hominibus res magni discriminis sit, utrum voluntatem divinam exsequantur nec ne, secundam quoque precationem „adveniat regnum tuum" non melius conficere et absolvere possumus quam facientes votum, tertia precatione contentum, ut unicuique contingat, voluntati Dei omnino obtemperare.

VI.

Summi gravissimique creaturae fines in prima orationis Dominicae parte perspicue propositi et satis commendati esse videntur. Deum cogita toto mundo suprema gloria fruentem, cunctos mortales immortalitatem coelestem appetentes, orbem terrarum propter communem exsecutionem voluntatis divinae fere in ipsum coelum transfiguratum,[65]) — ecce spectaculum pulcherrimum! Ideoque Christus jam hic orandi finem facere potuisset, si homines omnibus numeris perfecti atque absoluti a bono

59) Pölzl in Matth. 6, 10, Bisping, alii.

60) Notatu dignum est, quod pervulgata conversio germanica secundae petitionis „Zu uns komme dein Reich" seu „Zukomme uns d. R.", quippe quae non solum regni divini sed etiam hominum beatificandorum rationem habeat, nostram interpretationem sancire videtur.

61) Articulus τῆς in Aleph, B, Z, aliis codicibus vetustissimis deest.

62) Egger, Enchiridion theologiae dogmaticae specialis p. 133 sq.

63) Athenagoras, De resurrectione mortuorum, n. 12.

64) Kistemaker in Matth. 6, 10.

65) Chrysostomus, Hom. 19, 5: *Οὐδὲ γὰρ εἶπε „γενηθήτω τὸ θέλημά σου ἐν ἐμοὶ ἢ ἐν ἡμῖν" ἀλλὰ „πανταχοῦ τῆς γῆς", ὥστε λυθῆναι τὴν πλάνην . . . καὶ ἐπανελθεῖν ἀρετὴν καὶ μηδὲν ταύτῃ διαφέρειν λοιπὸν τὸν οὐρανὸν τῆς γῆς.*

proposito nunquam aberrarent. Quum vero hac in terra peregrinantibus nobis perpetuo contra permultos adversarios, haud raro nobis superiores, dimicandum sit, Salvator benignissimus sapientissimusque priori orationis suae parti quattuor preces adjecit, quibus a Deo victoriam implorare nec non indirecte eadem bona exorare possumus, quae jam tribus prioribus precibus amplexi sumus.

1. Primum impedimentum magnum, quo permulti prohibentur, ne quos supra nominavimus finibus suis supremis satisfaciant, est penuria alimentorum. Qua qui premuntur oculos suos in coelum allevare non possunt, sed hanc in terrestrem miseriam defixos habent. Propterea benignitatem Dei omnipotentis, qui „escam dat omnibus esurientibus tempore opportuno (Ps. 144, 15; 145, 7)“ respiciamus oportet, dum oramus hoc modo: (Mt. 6, 11) „*τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.*“ Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Vulg. (Luc. 11, 3: *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Vulg.). At quamvis in universum perspicuum sit, nos his verbis sufficientem cibum victumque rogare, haud parvam tamen difficultatem vox *ἐπιούσιος* affert, quae nusquam apud graecos scriptores nisi apud Matthaeum (6, 11) et Lucam (11, 3) invenitur, quare jam Origenes „ab evangelistis“, inquit, ficta esse videtur.“ [66])

Meyeri sententiam[67]) probantes plurimi interpretes vocem illam ab *ἐπεῖναι* = adesse (Part. *ἐπών, ἐποῦσα — ἐπούσιος*) deducunt, ita ut *ἄρτος ἐπιούσιος* sit panis „qui adsit“ vel praesto sit, i. e. qui hodie sufficiat. Cui vero derivationi id maxime obstat, quod litera „*ι*“ praepositionis *ἐπί* in *ἐπεῖναι* omnibusque vocibus ab eo deductis (v. gr. *ἐπουσία, ἐπουσιώδης*) semper eliditur.[68]) Ergo *ἐπιούσιος* vox, cujus „*ι*“ omnibus in codicibus illustrioribus legitur, aliunde derivetur necesse est. — Nonnullos ecclesiae graecae patres et scriptores secuti Bisping, B. Weiss, alii compositionem quandam ex verbis *ἐπί* et *οὐσία* (i. e. essentia, substantia, natura) factam esse arbitrantur, unde *ἄρτον ἐπιούσιον* intelligunt panem „vitae vel substantiae nostrae inservientem.“ [69]) Verum nemo nescit, vocem *οὐσία* antiquioribus temporibus perraro tantum nec nisi apud philosophos in usu fuisse, quam ob rem Henricus Stephanus, etsi interpretationi isti suffragatur, aperte tamen „quae interpretatio“, ait, aptissimum quidem sensum habet meo judicio, sed similis significationis nominis *οὐσία* exemplum desidero.“ [70]) Luc. 15, 12 sq., quo solo in loco Novi Testamenti occurrit, vocabulum *οὐσία* significat peculium, opes, rem familiarem. — Rectius Wolf, Winer, Passow, Pape, Grimm, alii grammatici et lexicographi[71]) adjectivum *ἐπιούσιος* ab *ἐπιέναι* et proxime quidem a Participio *ἐπιών, ἐπιοῦσα* deducunt (Cf. *ἑκούσιος* ab *ἑκών*, *ἐθελούσιος* ab *ἐθέλων* Participiis). Atque ita panis ille est *ἄρτος τῆς ἐπιούσης* sc. *ἡμέρας*, i. e. victus ad crastinum seu posterum diem spectans. Quae duo verba (*ἄρτος ἐπιούσιος*) victum ad tempus proxime tantum futurum sufficientem seu panem omnino necessarium ea potissimum conditione facile significare poterant, si in proverbii consuetudinem veniebant, sicut etiam dictum germanicum „Brod von heute auf morgen“ victum aegre sufficientem loco proverbii describit. Imprimis autem deductio nostra in eo nititur, quod S. Hieronymus affirmat, se in evangelio juxta Hebraeos pro *ἐπιούσιος* invenisse *mahar*, i. e. crastinus.[72]) Quod evangelium ab Ebionitis et Nazaraeis usurpatum fere ad verbum congruisse videtur cum evangelio secundum Matthaeum, sermone hebraico seu syrochaldaico

---

[66]) Origenes, De orat. 27.

[67]) Kuhn, Zeitschrift für vergl. Sprachforschung VII., p. 401 sqq.

[68]) Grimm, l. c. p. 167.

[69]) Origenes, l. c. 27: Panis, qui in substantiam nostram convertitur. Cf. Schanz in Matth. 6, 11.

[70]) Stephanus, Thesaurus I., fol. 1132.

[71]) Schegg in Matth. p. 468.

[72]) Hieronymus in Matth. 6, 11. — Non parvi momenti est, quod etiam Athanasius — De incarnatione n. 17 — *ἐπιούσιος* vocem interpretatur verbis *τὸν μέλλοντα*. Cf. Döllinger, Christenthum u. Kirche p. 359.

primitus conscripto.[73]) Qua de causa vix dubium est, quin Christus vocabulo *mahar* usus sit et hac sola voce indicaverit, *ἄρτον ἐπιούσιον* esse victum ab uno ad alterum diem sufficientem, seu panem nobis necessarium.

Paene supervacaneum est demonstrare significationem precis a nobis modo enucleatam, etiamsi sequentis diei rationem habeat, minime adversari Christi admonitioni: „Nolite solliciti esse in crastinum (Mt. 6, 34).“ Precari non idem est quod sollicitum esse; sed quo quis ardentius orat, eo minus sollicitus est, et quo magis quis sollicitus est, eo minus orat. Nonne autem assectatores Christi orationem Dominicam a voce „Pater“ incipientes omnem diffidentiam atque anxiam sollicitudinem deposuerunt? — Denique breviter commemorare liceat, nonnullos et antiquioris et recentioris temporis interpretes vocem *ἐπιούσιος* cum *ὑπερούσιος* (Vulg.: supersubstantialis) confundentes panem hoc loco ad cibum christianorum coelestem referre. „Dico“, inquit Cornelius a Lapide, „panem hic tum materialem corpori sustentando necessarium, tum spiritualem et coelestem animae nutriendae idoneum, uti est Verbum Dei et Eucharistia, postulari; utroque enim indigemus. Quare utrumque petere debemus, et tanto magis secundum quam primum, quanto anima praestat corpore.“[74]) Quae tamen interpretatio a principali sententia precationis justo longius discedere videtur.

2. Non omnibus hominibus curis terrestribus expeditis patet regnum coelorum, quoniam plerique impedimento variorum peccatorum seu debitorum detinentur; immo haud raro ii, qui opibus copiisque abundant, summo in periculo salutis aeternae versantur, finium suorum supremorum prorsus immemores (Mrc. 10, 24 sqq.). Idcirco optimo jure orare pergimus: „*Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα* (Luc.: *τὰς ἁμαρτίας*) *ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφήκαμεν* (non *ἀφίεμεν*)[75]) *τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν* (Luc.: *καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίομεν* etc.). Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus etc. Luc.: Et dimitte . . . si quidem et ipsi dimittimus etc. Vulg. — Qua ex periculosa peccatorum dominatione liberari tantopere cupimus, ut hac sola in precatione orationis causam afferamus, de qua speramus fore, ut Deus preces nostras audiat, — affirmationem dico, nos quoque debitoribus nostris veniam dare seu potius dedisse.[76]) Quamquam enim nemo remissionem peccatorum suorum mereri potest, quippe quae Dei beneficio ac gratia remittantur (Rom. 11, 6; Eph. 2, 8 sq.), ista tamen affirmatione declaramus, nos libenter satisfacere seu satisfecisse ei conditioni, cui ipse Deus remissionem peccatorum annexerit. Itaque *ὡς* particula comparationis hoc loco fere exaequat vim particulae causalis[77]) neque discrepat a particula *γάρ* in Luc. 11, 4. Similiter Christus oratione Dominica modo finita de conditione illa „Si dimiseritis“, inquit, „hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester coelestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus etc. (Mt. 6, 14 sq.)“; qua ex repetitione simul colligi potest, quam difficile eousque Judaeis fuerit, inimicis seu debitoribus suis sincere ignoscere (Mt. 5, 43 sqq.; 18, 21 sq.).

3. Omnium peccatorum fons ac principium est tentatio. Quare peccata nostra usque ad extremas latebras persecuturis nobis valde conducit quinta precatione tanquam majori cum vi redintegrata et gradatione facta hanc addere petitionem: „*καὶ μὴ εἰςενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν.*“ Et ne nos inducas in tentationem. Vulg. „Adjecit Christus“, inquit Tertullianus, „ut non de remittendis tantum sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus.“[78]) Nostro igitur arbitrio vox

---

[73]) Gla, die Originalsprache des Matthaeusevangeliums p. 101 sqq.; Movers-Kaulen, Kirchenlexikon, ed. II., vol. I., p. 1068 sq.

[74]) Cf. Irenaeus, Haer. 4, 18; Tertullianus, l. c. n. 6.; Augustinus, De serm. II., 27. Allioli in Matth. 6, 11.

[75]) Lachmann, Tischendorf, Tregelles, Westcott-Hort secundum Aleph, B, Origenem, alios testes antiquissimos.

[76]) Tempore perfecto (*ἀφήκαμεν*) significamus, nos Dei veniam petentes adversariis nostris interno saltem actu jam condonasse injuriam. Matth. 5, 23 sq.; Mrc. 11, 25.

[77]) Grimm, l. c. p. 472.

[78]) Tertullianus, l. c. n. 8.

„tentatio“ hac in precatione maximam vim ac gravitatem habet, ita ut tentationes cujusvis generis intelligendae sint, — tentationes scilicet et a diabolo et ab aliis hominibus et ab ipsis nobis excitatae. Cui interpretationi id adjumento est, quod juxta usum loquendi Novi Testamenti vox πειρασμός omnem sollicitationem ad peccandum, sive e cupiditatibus sive ex externo rerum statu factam significat (Mt. 24, 41; Luc. 8, 13; I. Cor. 10, 13; I. Tim. 6, 9).[79]) Unde apparet vocem „inducere“ hoc loco non premendam sed latiori sensu permittendi ut inducamur accipiendam esse, praesertim quum Jac. 1. 13 doceamur, neminem ab ipso Deo directe in tentationem induci. Cujus sententiae aliquando omnes fere scriptores ecclesiastici erant.[80]) Nuperrime vero complures principalem vocabuli „inducere“ significationem retinentes precationem sextam non nisi ad persecutiones, dolores, angustias, alias externas tentationes ab ipso Deo probandis hominibus interdum comparatas spectare, S. Jacobi autem dictum ad solam internam tentationem referendum esse opinantur.[81]) Nos sine cunctatione priorem sententiam praeponimus quum propter gravia quae supra attulimus argumenta tum quod sane mirum esset, si oratio Dominica tentationum hoc in contextu mentionem faciens tantum in externos tentatores animum orantium intenderet, internos vero tentatores haud raro illis perniciosiores plane praeteriret. — Notatu etiam dignum hoc loco est, precationem modo explicatam et ejusdem S. Jacobi cohortationem de gaudio in tentationibus percipiendo (Jac. 1, 2) minime inter se pugnare. Dum enim precamur, tentationes nondum exortas seu adductas detestari debemus; S. Jacobus autem eos, qui jam acriter contra tentationes exstantes proeliantur (Cf. „quum in tentationes incideritis“) cohortatur, ut laeto bonoque animo recordentur praemii proeliantibus parta victoria promissi (Jac. 1, 3; Rom. 5, 3).

4. Restat, ut unum impedimentum nostrae beatitudinis et perfectae glorificationis Dei illustremus. — Etiamsi e proelio contra inopiam victus, peccata tentationes commisso victores procedimus, persaepe tamen fragilitatem atque imbecillitatem humanam sentimus obortis morbis, angoribus, inimicitiis, aliis malis spiritualibus et corporalibus, physicis et moralibus. Immo non semper scimus, an non futurum sit, ut res secundae, auctoritas, valetudo, alia bona, quibus aliquamdiu fruimur, a diabolo in detrimentum nobis convertantur.[82]) Quare „comprehendentes adversa cuncta, quae contra nos in hoc mundo molitur inimicus“,[83]) precamur: „ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.“ Sed libera nos a malo. Vulg. Itaque tantum abest, ut ultima haec precatio solummodo eandem sententiam, quam paenultima precatio negative declarat, affirmative iteret,[84]) ut afferendo novum argumentum ultra tres posteriores preces progrediatur, prout in universum particula adversativa ἀλλά post negationem gradationem efficit, ita ut omne pondus notioni secundi membri tribuatur (Mt. 10, 20; Mrc. 9, 37; I. Cor. 15, 10; I. Thess. 4, 8).[85]) Ergo jure meritoque S. Augustinus ratione habita proprietatis ultimae precationis orationem Dominicam non in sex sed in septem petitiones dispertivit (Cf. Nro. 3). — Parvi tantum momenti est, cuinam generi nomen πονηροῦ ascribendum sit, vel ut aliis verbis utar, num voce ista quodcumque malum an malus κατ' ἐξοχήν i. e. diabolus significetur; quarum interpretationum posterior, a nonnullis ecclesiae graecae et latinae scriptoribus facta,[86]) usui sermonis

---

[79]) Grimm, l. c. p. 346.

[80]) Augustinus, De serm. II., 30: „Multi interpretando dicunt „ne nos patiaris induci in tentationem“ . . . non enim per se ipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit“ — Cornel. a Lapide in Matth. 6, 13: „Inducas non impellendo . . . sed permittendo induci; ita patres et catholici omnes.“

[81]) Schegg, Pölzl, alii in Matth. 6, 13.

[82]) Kistemaker in Matth. 6, 13.

[83]) Cyprianus, l. c. n. 27.

[84]) Cf. annot. 37.

[85]) Joh. 12, 44: Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με. Cf. Grimm, l. c. p. 18.

[86]) Cf. Maldonatus, l. c. p. 202 sq.

S. Scripturae non repugnat. Cf. Mt. 13, 19. 38; Eph. 6, 16; I. Joh. 2, 13; 3, 12. Fieri certe non potest, quin etiam ii, qui cum liturgia Romana[87]) vocem neutri generi attribuunt, continuo reminiscantur „principis hujus mundi (Joh. 12, 31; 14, 30; II. Cor. 4, 4)", cujus sine invidiosa agitatione nulla omnino mala in mundo exorta essent.

Omnes autem qui quum totam secundam partem orationis Dominicae tum ultimam precationem attente pieque peregerunt, sine dubio pace quadam coelesti, gravissimis impedimentis vitae christianae superatis, frui incipient, cui similem „mundus dare non potest (Joh. 14, 27)"; neque dubium est, quin a (gravioribus) „peccatis liberi et ab omni perturbatione securi" in exequenda divina voluntate (III) et nomen Domini religiose glorificaturi seu sanctificaturi (I) et regnum coeleste diligenter acquisituri (II) sint. Atque ideo in similitudinem orbis circumacta oratio in fine suo ad initium fere revertitur.

5. Voce „Amen", i. e. γένοιτο (Num. 5, 22; Deut. 27, 13. LXX), quae nonnullis in codicibus orationi additur,[88]) breviter comprehenduntur omnes preces hucusque factae, imprimis autem illud, quod totam orationem implet votum ac desiderium, ut scilicet omnes homines et primarium et secundarium finem a Deo ipsis constitutum feliciter assequantur. — Christum orationi suae doxologiam ab acatholicis etiamnunc usurpatam „ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία κτλ." non subjunxisse, omnes recentioris temporis interpretes satis sibi persuasum habent.[89]) Quod additamentum liturgicum, quo aliquando ecclesia graeca multas orationes concludere solebat, usu longaevo cum oratione quoque Dominica paullatim adeo in unum coaluit, ut posteriore tempore in S. Scripturam reciperetur.[90])

Vos autem, commilitones humanissimi, si ex commentatione nostra perspexeritis, quanta sententiarum gravitate et quam admiranda precum dispositione oratio Dominica emineat, jam non miremini, quod hoc „breviarium totius evangelii"[91]) vel antiquissimis temporibus a christianis maximi aestimaretur, ita ut non solum in liturgia quotidiana adhiberetur,[92]) sed etiam a singulis pluries per diem recitaretur.[93]) Utinam igitur vos quoque, quo saepius precamini, eo majore reverentia in verba ista divina impleamini et precibus revera praestantissimis iterum atque iterum corroboremini ad glorificationem Deo strenue persolvendam et ad prospere impetrandam vestram ipsorum beatitudinem! —

---

87) Notum est orationem orationi Dominicae in liturgia Romana subjunctam incipere ab his verbis: „Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris etc."

88) Cf. Schegg, l. c. p. 469.

89) Hoffmann, l. c. p. 21. Omittunt doxologiam omnes codices evangelii S. Lucae, — ex primi evangelii codicibus Aleph et B necnon Origenes et Gregorius Nyssenus.

90) Funk, Doctrina duodecim apostolorum p. 24.

91) Tertullianus, l. c. n. 1.

92) Kolberg, Verfassung, Cultus und Disciplin der christlichen Kirche nach den Schriften Tertullians, p. 112 sq.

93) Doctrina duodecim apostolorum, c. VIII.: Τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε. Cf. annot. 25.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Creationis divinae opus, statum hominis originalem, protoparentum lapsum ac peccatum originale dogmatice exponet, deinde de angelis disputabit quater vel quinquies p. hebd. h. X.
II. Repetitiones dogmaticas examinandi et disputandi causa instituet semel p. hebd. h. X.
III. Linguae Hebraicae grammaticam docebit, addens exercitationes interpretatorias bis terve p. hebd. h. VIII.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quater p. hebd. h. IX—X.
II. Item historiam ecclesiasticam novissimi temporis semel p. hebd.
III. De arte christiana recentioris temporis disseret semel p. hebd.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Vaticinia Isaiae prophetae interpretabitur ter p. hebd. h. VIII.
II. Evangelium sec. Johannem explicabit ter p. hebd. h. VIII.
III. Apologeticen tradet bis p. hebd. h. II.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. De virtutibus et officiis ad vitam socialem pertinentibus disseret quinquies p. hebd. h. XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis ethicae christianae capitibus instituet semel p. h. h. XI.
III. Pauca de patrologia praefatus vitas et opera Patrum antiquissimorum exponet h. def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O., h. t. Decanus.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disserere perget semel hebd. h. VIII.
II. Astronomiam popularem docebit quater p. hebd. h. VIII.
III. Quaestiones mathematico-philosophicas tractabit semel hebd. h. VIII.
IV. Calculum differentialem et integralem explicabit horis deff.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter p. hebd. h. XI.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis p. hebd. h. XI.
III. Fata linguae theodiscae exponet ejusque cognationis cum aliis linguis rationem explicabit semel vel bis per hebd. h. XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. De arte antiqua disseret et exercitationes archaeologicas moderabitur ter hebdomade h. IX.
II. Lactantii „de mortibus persecutorum librum“ cum commilitonibus latine interpretabitur bis hebd. h. IX.
III. Exercitationes latine scribendi moderabitur h. def.

Dr. Jos. Krause, P. P. E.

I. Psychologiam tradet ter p. hebd. h. X.
II. Metaphysicam docebit ter p. hebd. h. X.
III. Exercitationes paedagogicas moderabitur bis p. hebd. horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio:

De votis praesertim ex mente S^ti^ Thomae Aquinatis disputetur.

II. Ex instituto Scheill-Busseano:

Quaeritur, num genuina sit quae sub Dionysii Alexandrini ad Paulum Samosatenum fertur epistola.

De priore quaestione commentatio tradita est Ordini his inscripta verbis: „Vovete et reddite Domino Deo vestro.“ Ps. 75, 12.

Scriptor hujus commentationis non sine cura et opera locos summae theologiae, quos invenit ad propositum spectantes, congessit congestosque eo fere ordine, quo solent in scholis de votis disserere, disposuit ac reddidit et hic illic cum aliis auctoribus comparavit. Sed in eo minus elaboravit, ut argumenta doctoris angelici accuratius excuteret et in usum suum verteret, neque quaestionem suam ita instituit, ut, quo vinculo vota et consilia quae dicuntur evangelica inter se sint connexa, satis appareat. Quapropter Ordo ei plenum quidem praemium non concessit, attamen laudabilis diligentiae ratione habita, quinquaginta marcas adjudicavit.

Schedula reclusa nomen prodiit:

Paulus Rudlowski, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini subjecta est his verbis insignita: „*Πάντα δὲ δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.*“ 1. Thess. V, 21.

Quam qui exaravit, ex ipsa epistola et auctoribus, qui de hac quaestione scripserunt, sibi obviis argumenta epistolam hanc minime genuinam esse comprobantia collegit satisque dilucide exposuit, ita ut hac ex parte muneri suo satisfecisse videatur. Cum tamen levem tantum rei operam impenderit et adversariorum argumenta vix attigerit neque sermonem ubique, ut decuit, expolierit, Ordo nonnisi dimidia parte praemii commentationem ornandam esse censuit.

Rescissa charta innotuit:

Andreas Hinzmann, stud. theol.

Ordo Philosophorum commilitones de praemio Regio certaturos, quid de spatio docuerint scholastici, explicare jusserat. Subjecta est nobis commentatio una, insignita ea hisce verbis:

„Quaecunque de rerum natura quaestiones humano ingenio occurrunt, harum inter difficillimas spatii quaestio numeratur. Quo altius in eam rem penetras, eo obscurior fit.
Balmes vol. II, p. 136.“

Quam qui conscripsit, non ad fontes rediit, sed in nostrae aetatis scriptore quodam, qui eos diligenter tractaverat, se continuit. Cum vero emendate scripserit suique auctoris ducisque sententiam haud sine dexteritate exposuerit, duas praemii constituti partes ei concessimus.

Rescissa schedula lectum est nomen hoc:

Franciscus Gross, stud. theol.

In currentem annum commilitonibus hae quaestiones proponuntur

ab Ordine Theologorum

I. Ex instituto Regio: Quid Vetus Testamentum de Christo et ecclesia christiana typice doceat, illustretur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De initiis cultus divini in ecclesia primaeva christiana.

ab Ordine Theologorum

Ex instituto Regio: Sculpturarum veterum imagines gypseae nostrae describantur.

Commentationes latino sermone conscribendae et usque ad festum Nativitatis D. N. J. Chr. a. MDCCCLXXXVIII Rectori consueto modo obsignatae sunt tradendae.